

4.
2. D. B. 7.

DE

CONVERSIONE
PROPOSITIONUM
UNIFORMI
DISSERTATIO LOGICA;

Quam

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

GUILLIELMO HENRICO

DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM,
ANGARIÆ, WESTPHALIÆQUE, ET RELIQUA.

SENSU SUPERIORUM

PRÆSIDE

M. JOHANNES LUDOVICO BOYE

PUBLICÈ VENTILANDAM PROPONIT

AUTOR

CHRIST. FRID. HOHENHAISEN, NEO-SEDIN. POMER.
PHIL. ET SS. THEOL. STUD.

AD. D

SEPT. A. O. R. MDCCXI.

JENÆ

LITERIS WERTHERIANIS.

CONVERSIONE
PROPOSITIONUM

UNIFORMI

LECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
FRANCISCO DE SARRACENIS

GUILLIELMO HENRICO

PHILOSOPHO MATH. CLASSE ACAD. BRITANNICAE

COMMISSARIO REGIS BRITANNIAE

M. JOHANNI BODOVICO BOYE

CHRISTIANO HENRICO WILHELMO BOYE

PHILOSOPHO MATH. CLASSE ACAD. BRITANNICAE

LITTERIS WERTHERIANIS





DISSERTATIO LOGICA
DE
CONVERSIONE PROPOSITIO-
NUM UNIFORMI.

§. I.



NON male jam suo tempore CLITO-
MACHUS Carthaginensis, CAR-
NEADIS, viri acutissimi, assiduus
ut testantur CICERO Academic. Quæst. L. IV. num. 21. & DIOGE-
NES LAERTIUS L. IV. de vitis Phi-
losoph. segm. 67. Auditor, *Diale-*
cticam Luna comparare solebat, qua
assidue crescat & decreseat, ut legere est apud JOHAN-
NEM STOBÆUM sermone LXXX. pag. 473. & annota-
tum invenitur apud THOMAM STANLEJUM Histor.
Philos. Part. IV. in vita Clitomachi pag. 408. col. 2. edi-
tionis Latinæ.

Dialecticam id est

Philosophiam Rationalem

§. 2. Dialecticæ nomine Philosophiam Rationalem, quam Logicam hæcenus, græca voce (ut enim scientiæ, pleræque a Græcis ad nos devenere, ita vocabula quoque græca retinere Majores) diximus, hunc ex tertia Academia Philosophum intellexisse caret dubio, cum nomine illo communiter Veteres, præsertim vero ex Platonis Schola oriundi fuerint usi. Id enim in Logica Græci palmario intendebant præ cæteris gentibus ut non male annotavit JOHANNES CLERICUS Præfat. in Log. §. 2. loquacitate & cujusvis argumenti oppugnandi extemporanea facultate mirum in modum capti, ut ad facilem de rebus omnibus disputationem viam Discipulis suis scientia hac aperirent; licet negari non possit aliquos saltem altius ascendisse, voce interim retenta eadem.

ita aliquando ARISTOTELI

licet minus frequenter

§. 3. Et quamvis ARISTOTELES Logicæ duo constituerit organa, quorum alterum Dialecticam specialius, forte tamen magis proprie pro præsentis instituto, sumpto vocabulo, alterum Analyticam vocaret, illicque præsertim, quomodo ex effatis quibusdam probabilibus, Locis sc. Topicis, de omni proposito Problemate in utramque differere quis possit partem ostenderet, hic vero qua ratione res ex principiis certis firmis & immotis probari queat, evolveret: Ipse tamen totam disciplinam Logicam, uno nomine Dialecticam L. 1. Rhetor. c. 1. appellare videtur, cum ait, de quolibet syllogismo vel Dialecticam agere totam vel partem ejus, nempe vel Topicam quæ de Syllogismo Topico aut Probabili, vel Analyticam quæ de Syllogismo necessario & demonstrativo est sollicita: confer. interim quæ monent B. STALIUS

LIUS. Quæst. Log. I. & CONRADUS HORNEJUS In-
stit. Logic. L. 1. Part. 1. Quæst. 1.

§. 4. Non vacat equidem nunc in id inquirere
fufius, quo jure & an fatis bene Peripatetici fequiores,
præfertim qui proximi Magiftri inliftere voluere vefti- *præfertim*
giis, ex Dialectica & Analytica duas specie ut volunt (di- *vero*
fputarunt enim hac de re ad naufeam ufque) diftinctas
conftituerint, fcientias. Id faltem certum una fcientia
hæc omnia exponenda duxiffe Platonicos, quam non alia
fere quam Dialecticæ vocabulo, cujus ipfe PLATO pri- *Platonis*
mus fertur Autor, fiquidem DIOGENI LAERTIO in vi- *nomina-*
ta PLATONIS credendum, infignivere; ut jam de STOI- *tam*
CIS nil moneam, quam in rem evolvi poterat GER-
HARDUS JOHANNES VOSSIUS de natura Logicæ c. 1.
§. 2. p. 2. Hæc enim ut ex ALCINOI doctrinæ Platonica lin-
neamentis, nunc STANLEJI Hift. Phil. p. 326. feq. infertis
c. 3. patet, in dividendi, definiendi, in ducendi, & ratio-
nandi modum inquirebat fufius, ac Apodicticam, quæ circa
ratiocinationem neceffariam, & Epicherematicam, quæ cir-
ca probabilem verfatur, fub fe comprehendebat: quamque
CLITOMACHUS Lunæ quod crefcat & decrefeat com-
parare confueverat. Quamvis ceterum apud ipfum fal-
tem PLATONEM Dialecticam plura involviffe, fcien-
tiamque aliquam univerfalem in fuper notaffe non nega-
verim, quæ tamen nunc fufius expendere noftri non eft
inftituti: conferri hic omnino meretur Excellentiffimi Dn.
JOHANNIS JACOBI SYRBII de Philof. Prima in locum
& honorem fuum reftituenda differtatio §. 15.

*Luna non
male com-
parasse ob-
servatur*

§. 5. Animus vero in præfens non est, ex Histo-
ria Philosophica, quod tamen facile fieri posset, diversa
Dialecticæ vel Logicæ fata ob quæ cum Luna non inepte
eandem contulerat CLITOMACHUS annotasse; cum
satis constet, & suos Amasios, quos de augenda & per-
ficienda illa subinde tenuit sollicitudo, & simul tamen
alios non usque adeo bene de illa sentientes, omni fere
tempore fuisse expertam. Qui vult adire interim pot-
erat quæ hanc in rem collegit JACOBUS FRIDERICUS
REIMMANNUS in dem kritisirenden *Geschichts-
Ca-
lender von der Logica.*

§. 6. Id saltem dico ad fata quæ Logica nacta re-
centius, effatum illud Platonici quadrare quam optimè.
Contemptui fere saltem apud illos qui supra vulgus sa-
pere voluere Logica habebatur, ut optimum esse Logi-
cum, idem fere quod optimum esse Prædantem, plurimis fu-
erit hactenus. Præsertim, cum paucissimi non tantum de
augenda illa & perficienda fuerint parum solliciti, sed ne
illa quidem quæ ad hanc scientiam nobilissimam illustran-
dam ab antiquis erant excogitata, solide proposuerint,
quæ decremента illius non poterant non arguisse. Sed
hodie plenissima incedit facie, ex quo cura & studio
etiam magni nominis Virorum denuo fuit illustrata, ac in
talem jam redacta formam, quæ lucem nunc egregiatam
in omnibus alijs scientiis intellectui nostro satis obtenebra-
to afferre poterat.

*Et ad The-
ma propo-
situm de-
scenditur*

§. 7. Constitueram equidem Almæ huic Musa-
rum Matri propediem valedicurus, hoc CLITOMACHI
effatum considerare penitus, ac quantum differat Logi-
ca Recentiorum à Logica Veterum, nempe ut luna ple-
na à luna raro quidem dimidiata, sapius falcata, sapiissime
nova,

nova, specimine quodam commonstrasse uberius, quod utilitate forte non caruisset; sed tempore pro presenti exclusus, hæc aliis elucubranda relinquere cogor. Ne tamen *ασυμβολος* hinc discedam, thema qualescunque Logicum de Conversione Propositionum Uniformi, publico conflictui subjiciendum tandem constitui, ut exinde quoque (quæ tamen forte leviora, nec ipsum momentum multum adhuc attingunt) Logicae Veteris & recentioris quocunque mododifferentia pateat, Lectorem interim benevolam, ac censorem æquum mihi exoptans.

§. 8. Conversionem Propositionum esse uniformem, optime Viri Clarissimi, Excellent. Dn. D. GOTTLIEB GERHARDUS TITILIUS in arte cogitandi c. 7. §. 3. seqq. & Magnif. Dn. D. JOHANNES FRANCISCUS BUDDIUS Præceptor ætatem deverandus Part. 1. Phil. Instrument. c. 1. §. 24. annotarunt.

*Conversio
Proposi-
tionum
Uniformis*

§. 9. Equidem non admiserint hæc forte, qui Peripateticorum placitis innutriti, & ad præscriptum ARISTOTELIS Systemata sua Logica, quorum major est copia, quam muscarum in ætate cum calet maxime, confcribenda hætenus judicarunt. Quodsi tamen ad ipsam conversionis naturam, aliâq; mōnita mox subjicienda, curatori respexeris oculo, res omnino futura evidentior, quam ut in dubium solidis ex fundamentis possit revocari.

A Peripateticis quidem nondum admissa.

§. 10. Nec vero utilitate sua hæc qualiscunque caritura consideratio, quandoquidem tota illa de Conversione Propositionum materia jam ad certiora, magisque universalia insuper revocari poterat præcepta.

Nec tamen sine utilitate observata.

§. 11. Non autem est ut dicas: Totam illam de Conversione Propositionum doctrinam, parum quidem utilitatis

tatis

tate se posse commendare, ad vanas potius revocandam esse speculationes, ex quibus commodi quidquam sperari vix poterat.

solvitur

§. 12. Licet enim nullus negare possim, recentiorum Logicorum plurimos ex hoc ipso sine dubio capite, intactam fere hanc de Conversione Propositionum materiam reliquisse; Id tamen utique dicendum videbatur, non omnino inter illa Logicæ capita eandem esse revocandam, quæ historiæ ergo saltem fuerant tenenda, cujus generis forte plurima esse in Logica vulgari, inficias ire cum aliis non possum.

*Et usus
conversionis
ostenditur.*

I.
II.

§. 13. Inservit enim I. Augendæ nostræ de rebus notitiæ, cum veritatibus novis inveniendis, ansa per eam nobis subministratur, juxta regulam illam universalem ex dicendis clarius intelligendam: A convertenda ad convertentem valet consequentia. II. Inservit toti fere de reductione syllogismorum materiæ, quæ ostendit quæ ratione ratiocinationes nostræ, in quibus consequentiæ necessitas forte obscurior, in discursus apertius concludentes, ubi dictum de Omni vel Nullo actu continetur, quos perfectos demum dicimus, quales sunt non nisi illi, qui in prima ut vulgo numerant figura, concludunt, possint immutari; quod tamen nunc fusius ostendisse non fuerat necesse. Perspicue post alios rem egere Excell. Dominus PAULUS RABE in cursu Philosoph. Part. 1. Analyt. c. 2. & B. BECHMANNUS in institutionibus Logicis Libr. 3. c. 6. Accedit III. Quod ex hac ipsa doctrina habitum & quantitatem subjecti & prædicati eo rectius intelligere discamus, quemadmodum non male laudatus modo D. Titius I. c. §. 2. observavit. Ut jam, non dicam IV. in ipsa quoque de Conversione Propositio-

III.

IV.

positionum doctrina veritates quasdam dari, nunquam vero non veritatis cognitio delectet, quandoquidem, ut præclare jam olim dicebat PLATO intelligentiæ nostræ vis Veritate tanquam saluberrimo pabulo alitur.

§. 14. Quod ergo rem ipsam, ut ab ovo quod dicunt *Conversionis ratio formalis & fundamentum* quasi exordiamur, concernit, tota conversionis ratio formalis in transpositione & inversione subjecti & prædicati, hoc in locum illius, illo in locum hujus transeunte, potissimum quærenda. Hoc enim primum in Conversione Propositionum concipimus, ex quo reliqua omnia poterant derivari; primum autem conceptum rationem formalem dicere Philosophis est solenne. Fundamentum vero illius transpositionis, ex relatione quæ inter subjectum & prædicatum intercedit unice resultat. Omnis enim relatio cum sit mutua, hinc non solum prædicatum cum subjecto, sed & subjectum cum prædicato convenire in Affirmativis quidem Propositionibus fuerat necesse; & pariter in negativis, eo ipso quod prædicatum cum subjecto non conveniat, nec subjectum cum prædicato convenire poterat.

§. 15. Dum autem Ideæ propositionis ita transponuntur, inde novam exurgere propositionem, sicque *Ac requiritur exponuntur.* in omni conversione duas adesse debere, sponte quidem ex his fluebat, quas diversis appellare nominibus Logici hæcenus consueverunt. Harum enim una quæ convertitur e.g. N. *spiritus* est extensus, nunc *convertenda* (si ante) nunc *conversa* passive (si post inversionem spectetur): altera vero quæ ex transpositione ista resultat, *Convertens* active salutatur, quia ut prioris fuerat converti, ita hujus præjacentem convertere, immutare & transponere; ita tamen ut ab hac ad illam valeat regressus.

gressus. Atque hinc est quod ARISTOTELI non *εγωφι* simpliciter, sed *αυτιεγωφι* hæc Propositionum Affectio vociterur, particula *αυτι* vicissitudinem aliquam notante, cum non solum una Propositio vertatur in aliam, sed & hæc in priorem illam per circulum quasi & mutuum versionem, iterum redeat, quam in rem etiam *Reciprocationem* aliquando, præsertim à MONLORIO Schol. in L. 1. Prior. c. 2. p. 24. dictam invenies.

§. 10. Justa vero & legitima ut porro sit hæc idearum vel ut stylo communi loquar terminorum (qui tamen *συμβολα* saltem sunt & signa *των εν τη ψυχη παθηματων*, unde incatius saltem egisse Logicos perpetuo mecum statui, quod missa doctrina de ideis, vel conceptibus stylo Scholasticorum, ad terminorum doctrinam fuerint delapsi, quod non poterat non vitio ipsis à recentioribus merito verti) transpositio, ususque modo enarratos totum hoc inversionis (ita enim significantissime posse conversionem appellari non male B. ROETENBECCIUS in Logica veteri & nova Quæst. 1370. annotavit) exercitium præstare queat, facile patebat id omnino esse attendendum, ut in propositione utraque tum convertenda tum convertente ideæ non solum, sed & signa, quibus illæ exprimentur maneat eadem, nisi conversionem aliquam interveniente æquipollentia Propositionum materiali, sed forte sine utilitate velis admittere. Unde omnis mutilatio hic quidem in totum fuerat proscribenda, quia alias non transpositus terminus, sed vel abjectus, vel plane in alium transmutatus dici deberet, quare formali ratione conversionis deficiente, conversio amplius locum habere non poterat. Semper vero mutilabis terminos, sicubi vel non integros vel cum additamento

mento, vel etiam alio sensu in hac alio in altera propositione eosdem assumpseris; quomodo male e. g. hanc Q. cœci vident, converteres in illam Q. Videntes sunt cœci, cum terminus hic ultimus in præjacente, in *ampliacione*, ut sensus sit: Q. qui fuere cœci vident, in convertente vero in *statu* sumatur, cum contra ita conversio institui debuisset Q. videntes faere cœci; quæ tamen, in omnibus quippe systematibus obvia, fusius nunc prosequi non placebat.

§. 17. Nec minus ultro, attendenti ad dicta penitius, id licebat concludere, ad Propositionum conversionem omnino quoque identitatem qualitatis tum in convertenda, tum convertente requiri, sive illa sit essentialis, sive accidentalis. Essentialis quidem, ut una existente affirmativa altera non sit negativa, & contra. Accidentalibus, vero ut una existente vera, altera non sit falsa, & una existente falsa, altera vera non existat. Conversio enim nil dicit nisi terminorum transpositionem, concipi vero non poterat, qui per solam terminorum inversionem, Affirmans possit reddi negans, aut ex negante fieri affirmans, vel tandem ex vera possit exsurgere falsa, aut ex falsa vera. Quodsi enim in convertenda A cum B. id est prædicatum cum subjecto convenerit, B. cum A. id est subjectum cum prædicato non poterat pugnare, eo quod relatio omnis sit mutua; & tandem si verum fuerit A. cum B. convenire, necessario quoque verum erit B. convenire cum A. Si falsum A. convenire cum C. etiam falsum erit C. convenire cum A. Quodsi autem contigerit vera existente una falsam tamen esse alteram id non ex conversione sed neglectu illorum, quæ ad conversionem requirebantur unice proveniet, unde non

tam *converso*, quam *aversio* potius juxta AVERROEM comment. ad Libr. 1. Analyt. ARISTOTELIS c. 2. p. 63. dici debebat.

*Quorum
respectu u-
niformem
Convers.
Peripat.
admittunt*

§. 19. Atque hæc quidem fere præcipua conversionis requisita ut ex conceptu primo ac formali ratione Conversionis fluunt, ita universalia merito dixeris, quæ in omni Propositionum genere, ac in omni simul Inversione obtinere debebant, Logicis propterea plerisque probata, hinc quantum ad illa conversionem propositionum esse uniformem ipsi quidem vix diffitebuntur. Peripatetici, licet aliqui in certa conversionis specie peculiare quid hic subesse velint, quos tamen abunde confutarunt alii, idque non immerito. Recedunt enim, ut Conversionis species multiplicent, præter omnem causam talemque obrudant quæ nil minus quam Conversio dici merebatur.

*Cur vero
difformem
statuant o-
stenditur.*

§. 20. Quia vero in Propositionibus non tantum ad terminos subjectum & prædicatum, ac qualitatem illarum, sed quantitatem insimul fuerat attendendum, cum qualitas, accidentalis saltem, eadem manere non possit, sicut ubi in quantitate aberraveris, quandoquidem non solum errat qui dicit, hominem esse spiritum; sed is quoque qui omnem hominem Philosophum, aut quendam hominem, substantiam esse, extra Subalternationis casum & exclusive proficitur, hæc vero in certo propositionum genere nunc manet eadem nunc immutatur, conversio videbatur esse difformis, unde inter conversionem simplicem & per accidens diligentissime hætenus distinxit Logicorum vulgus.

*Et
Quid Con-
versio sim-
plex*

§. 21. Dicunt autem Conversionem simplicem quando enunciatio convertitur in aliam, non solum ejusdem qualitatis

litatis, sed & quantitatis. Locum vero habere volunt in universali negante, & particulari affirmante, quæ juxta illos convertuntur in se ipsas, id est N. & Q. loco suo non motis, extremis saltem & terminis inversis, quemadmodum forte duo domicilia cum se invicem mutaturi, capillamenta aut pileos ejusdem valoris aut pretii habentes, sibi invicem relinquerent, ac calvi alter alterius locum occuparet.

§. 22. Sed Conversionem per accidens appellant, quando enunciatio convertitur in aliam ejusdem quidem qualitatis diversæ tamen quantitatis. Locum autem habere statuunt in universali affirmante, e. g. Omnis homo est *substantia*, quæ non uniformiter in universalem O. *substantia* est homo quippe falsam, sed particularem, sicque mutato signo præfixo Q. *substantia* est homo, fuerat convertenda. Videris tamen etiam universalem negantem sed interveniente subalternatione huc à quibusdam revocari. Licet enim immediate, universaliis hæc negativa N. *Accidens* est substantia, convertatur in istam N. substantia est *accidens*: quia tamen sub hæc universali negativa comprehenditur particularis hæc, Q. substantia non est *accidens* in hanc quoque universalem istam negativam converti posse movent; & ita cum signis non secus ac pueri cum pupis nostri ludunt Peripatetici.

*Quid per
Accidens
evoluitur*

§. 23. Ne vero sine ratione has de conversione Propositionum species constituisse videantur, ad Magistrum suum subinde provocant, quasi ipse quoque Libr. 1. Prior. Analyt. c. 2. has Conversionis species jam agnovit. Equidem quod cardinem rei concernit, Stagyreram discipulis suis haud contradicere facile largior, conversionis tamen aliam atque aliam constituisse speciem

*An ab Aristotele hæc
Conversionis
species
admissæ
inquiratur.*

totus abnuo. Sufficiebat enim illi propositiones quas conversioni aptas credebat, sigillatim annotasse, ac quamnam Conversio in illis locum habeat observasse, de certis vero enarrandis speciebus forte ne cogitavit quidem. Textu enim 2do Propositionem καθολα θεωρητικην converti duntaxat τοις ομοις id est terminis inversis, signis vero quantitatis præ fixis manentibus e. g. N. voluptas est bonum. N. bonum est voluptas, tradit: textu 3tio universalem affirmantem, quam vocat κατηγορικην, non converti universaliter sed particulariter, & καθολα αλλ εν μερει e. g. O. voluptas est bonum Q. bonum est voluptas: & textu tandem 4to Propositionem καταφατικην εν μερει affirmativam particularem converti κατα μέρος id est particulariter e. g. Q. voluptas est bonum Q. bonum est voluptas. Ex quo sponte intelligitur ipsas quidem Regulas de conversione propositionum à Peripateticis propositas hæcenus approbasse Philosophum, peculiare vero species constituere noluisse, multominus aliam dixisse simplicem, aliam vero per accidens; sed otiosum hoc esse sequioris ætatis hominum inventum, cum causam deprehendam nullam quare conversionem Propositionis universalis affirmantis conversionem per accidens dicere placuerit, quæ tamen æque simplex ac altera, quam hoc peculiari nomine vocitarunt hæcenus.

§. 24. Atque hinc est quod alii maluerint conversionis modum, alium quidem simplicissimum, alium minus simplicem appellare, quemadmodum rursus alii sunt, qui hæc quam vulgo dicunt conversionem per accidens, cum WALLISIO diminutæ quantitatis nominant, cum quantitatis immutatio non fiat eam augendo, sed minuendo potius, conf. antea laudatus ROETENBECIUS Quæst. 1400. & 1379. Ceterum qui putant, ARI-STO-

STOTELEM loco allegato conversionem simplicem vocasse *εν οροισ*, per accidens vero dixisse *εν μερει*, vel textum non evoluisse, vel non satis ponderasse videntur, ut conferenti facile patebit. Ut enim de universali affirmante dixerat converti illam *εν μερει* id est particulariter, ita de particulari affirmante similiter dixerat converti eandem *κατα μερος* id est particulariter. Facit quidem Conversionem aliam *καθολικη*, aliam *εν μερει*, sed ita ab ipsis Propositionibus convertendis denominationem unice petiisse ultro patebat. Sed dum hæc scribo eundem errorem jam ante observasse deprehendo ANDREAM HEDIONEM Libr. I. Prior. Analyt. definit. 17. §. 2. p. 136. qui non poterat non textum græcum intuenti ad oculum mox patefcere.

§. 25. Sed quicquid tandem horum sit, crediderim totam hanc de conversionis propositionum diversis speciebus materiam, non nisi superficiariam saltem sapere philosophiam. Supponunt enim pleraque fere sine probatione & demonstratione quasi exploratissima, & quis tandem Logicorum, qui lacero sub ARISTOTELIS pallio securus ab omni invasione esse poterat. Philosophi cum sit rationes solidas asserti sui attulisse, nec pro autoritate Regulas & Maximas quæ demonstrari prius debuerant, siquidem valor illis fuerat concedendus curdiffe, qui nisi cæco autoritatis præjudicio occupatis unquam quod dicunt persuadere poterunt? Nec sufficebat Carmine plusquam Heroico optimo quovis Pœtarum dignissimo intonasse:

EEcI simpliciter convertitur, AntE, (vel ut mulierem addam EvA) per Accid.

Au

*Επιμνηστικῶς
ad doctrinam
Peripateticorum
subjungitur.*

*Quodque
superficiaria
sine omnia*

Aut plusquam horrendo & barbaro illo quod contra febrim ac pestem valere poterat:

EccE tibi SIMP. ArmIg ErOs Acc. ArmA bOnO CoNTR. (connumerata conversione per contrapositionem quam aliqui speciebus conversionis adjiciunt, de quo suo loco). Acumen ingenii acumen vincere Lydium jurares lapidem. Ut enim in priori carmine Vocales E. I. A. Propositiones ipsas insinuant (juxta illud tritum Ippis & tonsoribus notum: Afferit A negat E) cujusque conversionis sint capaces ostendunt; ita id commodi habebis ex altero, forte non sine molestia & anxietate composito, ut quomodo in singulis utraque propositio & convertenda & convertens sit comparata, pro memoria juvanda mox habeas in promptu; quamvis ingenue fatear, ne quidem innumeris pene gallinæ cerebris, quæ memoriæ adjumento esse credidit CARDANUS, id obtinere penes me potuisse, ut sine lapsu recitare illud potuerim unquam.

*Minusque
universa
lia com-
monstra-
tur.*

§. 26. Et quid quæso tandem his omnibus juvabimur. Quid respondendum illi qui tot produxerit in medium Propositiones universales affirmativas quæ omnes convertuntur universaliter, quot hactenus pro sua Regula comprobanda exempla attulere Logici vulgares; tot Particulares Affirmativas quæ in Universales poterant mutari, quot Conversionis Propositionis Universalis in particularem specimina dedere. Conversio enim est reciproca, hinc prout Universalis in Particularem mutari poterat, ita hanc in illam iterum redire nil vetabat. An ergo satis fuerat ad id vulgare confugisse, procedere illa ratione materiæ, non vero ratione formæ? Sed leve id merito dixerim, cum omnis ratio conversionis sit à materia, & tum ab hac sit quod convertatur universalis affirmativa.

affirmativa particulariter, tum vero quod in universalem aliquando inversio transmutetur.

§. 27. Dicis: *rationem regularum pro conversione ac Objectionum utique datam habemus, hanc nempe, quod titioni non observatis Regulis illis convertenda vera existente, convertens fiat falsa e. g. O homo est substantia, qua male ita convertitur O substantia est homo. O Asinus habet oculos; qua pessime ita invertitur. O quod habet oculos est asinus & sic porro.*

§. 28. Enim vero hæc rem nondum conficere possunt. *Satisfe* Exempla quidem video, ubi conversio propositionis universalis in particularem fieri poterat, nec ab nuo similem in aliis exemplis quam plurimis procedere, rationem vero illius rei nullam adhuc animadverto. Anne enim recte dico: O corpus est extensum, & omne extensum est corpus, O homo est docilis & O docile est homo, & sic in innumeris aliis. Et quis tandem ostendit ubinam Regulæ vulgares exceptionem patiantur? Quis commonstrabit exemplorum illorum conversionem quam non nisi ratione materiæ procedere crepas, ratione formæ rite se non habere? Forma enim tua quam fingis est nulla, cum accidentalis saltem existat, idque vocas formam, quod in multis locum habebat, quod tamen valde jejunum esse, Ipse facile deprehendere poteris. Accuratius ergo hæc omnia fuerant proponenda, & excutienda.

§. 29. Dicitum fuit supra in conversione propositionum id omnino ubique vitandum, ne ulla terminorum fiat mutilatio. Cum ergo ideæ terminorum quorumvis, propositionis cujuscunque, tum quoad comprehensionem, tum extensionem considerari debeant, id

*Ad hæc er-
go emen-
danda no-
tatur a-
xioma 1.*

C

spon-

unde inferitur

debere in conversione ideas

Considerari tum quoad comprehensionem

Quod exemplo illustratur

sponte fluebat, illas nullo modo, nec quoad comprehensionem, nec quoad extensionem debere immutari. Ad formam conversionis hæc pertinere non negabis, quare nec negare poteris amplius conversionem esse uniformem, cum ad hæc saltem in omni conversione sit attendendum, atque ex hoc ipso fundamento, omnes pro conversione Propositionum Regulæ sint deducendæ unice. Sed ut hæc jam pateant penitius de Comprehensione & Extensione idearum omnino quædam monenda venient. Licet enim quantum ad Scopum nostrum Extensio potissimum consideranda videatur, nec tamen inutile de Ideæ insimul comprehensione quæpiam commonuisse.

§. 30. Ideæ vero comprehensionem voco, complexum attributorum, quæ latent in illa, ut nullum demi possit, quin ipsa idea destruat, in omni ergo propositione quæcunque illa fuerit, & subjectum & prædicatum, secundum totam suam comprehensionem debere accipi caret dubio. Idea enim est conceptus rei variis prædicatis essentialibus constans, sive illa sint constitutiva, sive consecutiva quæ ex essentia necessario fluunt, hinc unum si demseris eadem idea amplius non erit, sicque ob ideæ mutationem nec Conversio amplius dici merebatur.

§. 31. Exemplo rem, illustrare juvabit: si dixeris: *Homo est substantia*, affirmas de homine, quicquid in idea substantiæ includitur, sive conceptum communem & genericum, sive proprium spectaveris. Affirmas ergo de homine quod sit ens, quia hic est conceptus substantiæ genericus, quem cum accidente habet communem; & porro affirmas, esse per se existens, quia hic conceptus

hic conceptus substantiæ proprius & differentialis existit, quo ab accidente, distinguitur, quod equidem ens sed non per se existens, verum alteri in hærens tanquam suo subiecto. Idea ergo substantiæ secundum totam suam comprehensionem sumitur, adeo ut si quædam hujus ideæ pars homini non conveniret, tota idea ei non conveniret, sicque vox substantia significans ideam totalem de homine deberet negari non affirmari. Nec tamen hæc ideæ comprehensio in prædicato duntaxat, sed subiecto quoque idque generatim in omni propositione, quæcunque tandem fuerat, spectanda veniebat. Unde colligo in ipsa Propositionum conversione id esse perpetuum, ut ideæ, sive subiecti sive prædicati locum obtineant, eodem semper modo sumantur, qua propter supra etiam terminorum identitatem in utraque propositione convertenda & convertente requisivimus

§. 32. *Idea autem extensionem nomine ambitum ideæ, ad plura inferiora, sive sint species sive individua, se extendentem. Et quantum ad hanc diversitas quædam in propositionibus locum habet, cum aliquando idea secundum totam extensionem accipitur, aliquando secundum aliquam duntaxat. Exemplum esto idem: Homo est substantia, idea hominis secundum totam extensionem accipitur, cum nihil excludatur quod homo dicitur, de quo non ipsum enunciatur prædicatum, adeoque & de Petro, Paulo, Johanne, Anna, Catharina, valebit, quod sint substantiæ id est entia per se existentia. E contra cum dico: Homo est Philosophus vox Homo non secundum totam extensionem accipitur, cum non de omnibus inferioribus prædicatum enunciatur*

Tum quæ ad extensionem.

sed de aliquibus duntaxat ARISTOTELE PLATONE, CARTESIO aliisque.

*Non solum in
subjecto*

§. 33. Quemadmodum vero ideæ comprehensio tum in subjecto tum prædicato spectanda, ita & extensio, tum in subjecto, tum prædicato consideranda fuerat. Et quidem quod *subjectum* concernit, cum id vel secundum totam suam extensionem sumatur, ut nullum inferius excludatur sub subjecto contentum, de quo non enunciatur prædicatum: Vel sumatur secundum aliquam

*unde Propositio
universalis & Particularis.*

saltem, sicque prædicatum Propositionis ad quædam duntaxat inferiora subjecti extendatur, hinc propositio alia evadebat *universalis*, si prius locum habuerit, alia *particularis* si posterius obtinuerit, quod quantitatem propositionis communiter dicere solemus.

*quorsum
referri poterant.
Indefinitæ*

§. 34. Equidem præter has indefinitas quoque admittunt Philosophi, cum universales saltem vocent illas quibus signa universalitatem denotantia, Omnis & Nullus, Particulares, quibus signa particularitatis Quidam, Quidam non, & siquæ alia hujus generis sunt præfixa: Indefinitas vero quæ nullum signum habent præfixum. Sed id quidem parum nunc ad cardinem rei, cum certum sit ipsas Propositiones indefinitas nunc universali nunc particulari æquipollere, atque inter totam & aliquam extensionum medium saltem non dari.

In singulares

Quod tandem *Propositiones singulares* concernit, has ad Universales analogice referimus, cum æque ut in Universalibus ita & insingularibus subjectum in tota sua latitudine sumatur, ut bene Magnif. Dominus. D. BUDDEUS in Logica c. 1. §. 22. annotavit.

*sed & in
prædicatis*

§ 35. Quod *Prædicatum* attinet hic quoque ad extensionem fuerat attendendum, quod cum neglexerit

Lo-

Logici, mirum non est quod superficialiter doctrinam Conversione hactenus tractarint. Conversio enim simpliciter prædicatum transponit, hinc nec qualitatem nec quantitatem largitur aut mutat, sed prout reperit, ita convertit, ut hinc nec necesse sit inter Conversionem simplicem & per accidens distinxisse, cum Conversio Propositionis Affirmantis perinde sit simplex, ac ea qua universalis negans convertitur, licet post eam subjectum sit particulare, quia conversionis hic nulla culpa, quæ quantitatem quæ non adest largiri nec poterat nec debebat conf. Clariss. TITULUS l. c. §. 8. Id ergo generale esto fundamentum perpetuo hic attendendum, *Hinc actio extensionem habet prædicatum in convertenda, quale est oma 2. retinet quando in locum subjecti transit: Id est si prædicatum in tota extensione fuerit acceptum, in tota etiam extensione accipietur, adeoque universaliter, quando in locum subjecti migrat. Quod si vero secundum aliquam saltem extensionem sumatur id est particulariter, particulariter etiam sumetur sicubi subjecti locum occuparit, quod omnem idearum & terminorum mutationem respuat conversio, sic nec mutatio quoad quantitatem in quocunque termino locum habere queat.*

§. 36. Sed forte novum tibi erit quantitatem quærere in prædicato, quæ hactenus non nisi in subjecto fuit quaesita. Dicis: An nescis quid ille Philosophorum Princeps libro *περι ερμηνειας* c. 7. §. 4. monuerit: *επι δε* inquit *τη κατηγορημενη καθολη τοιαυτη κατηγορειν εν εση αληθες. εδεμια γαρ καταφασις* Ecce audisne quanta cum Parrhesia noster Magister te refutet *αληθης εσαι εν η τη κατηγορημενη καθολη κατηγορειται.* O. quantum acumen in nostro Doctore *οιον* En non gratis dicit sed probas

bat exemplo *εστι πας ανθρωπος παν ζων* Omnis homo est animal Omne.

Elidiur.

§. 37. Bona verba quæso ! Vivimus hodie in novo Seculo, & quemadmodum quælibet fere regna suos quasi habent periodos, ita regnum quoque magni Philosophorum Principis terminum suum fere jam consecutum, postquam jugum servitutis feliciter Viris Summis ducibus est excussum, ut jam non ARISTOTELI, sed VERITATI unice litemus amplius. Sed ecce nimio tuo pro ARISTOTELE zelo vix Philosophum intelligere poteras. Negat in propositione universali affirmativa non posse prædicatum sumi universaliter, num vero propterea negat statim, non posse sumi particulariter aut prædicatum plane non posse quoad extensionem aut quantitatem considerari. Verum est quod monet, non posse dici, O. Homo est animal omne, forte tamen non negabit recte dici, O homo est animal quoddam. Ceterum nihilominus tamen aberrat Magister, quando ita simpliciter defendit non posse attributum propositionis universalis affirmativæ sumi universaliter. Anne enim recte dico, O. homo est animal rationale universaliter (liceat enim nunc hominem animal salutare.) Sufficiat autem exemplum unum nunc ARISTOTELI opposuisse ne liberaliores simus illo, qui unico saltem exemplo effatum suum commonstraverat. Confer interim quæ ad hunc locum ARISTOTELIS acutus STALIUS in Quæst. Logicis Quæst. 56. attulit.

§. 38. Possè ergo extensionem etiam in prædicato spectari, vix dubium esse poterat, cum in omni idea & comprehensio & extensio considerari possit, quæcunque tandem illa fuerit, sive nunc subjecti sive prædicati

ra-

rationem habuerit. Accedit quod in Conversione prædicatum in locum subjecti translatum signum aliquod nanciscatur, qualecunque tandem illud fuerit; necesse ergo erat ut certam extensionem habuerit, sicubi prædicari locum occuparit. Frustra enim esset si crederes in Conversione Simplici prædicatum assumere signum & quantitatem subjecti, licet id forte exempla obvia Propositionis Universalis negantis, & Particularis affirmantis utcunque expensa persvadere potuissent.

§. 39. Ceterum ut quæ & qualis extensio prædicati in propositione qualibet existat, nunc omnino fuerat demonstrandum. Licet enim forte materiam ipsam cognitam habenti hoc ipsum intelligere sit facillimum, Regulis tamen certis & solidis rem omnem complecti à Logico non fuerat alienum. *Quænam extensio prædicati.*

§. 40. Quod itaque Propositiones Universales affirmativas concernit, de his hæc esto Regula: *In Propositionibus Affirmativis universalibus prædicatum plerumque est particulare, adeoque tribuitur quidem subjecto secundum totam suam comprehensionem, non vero secundum totam extensionem.* Dico ut plurimum, quo ipso duo in fine (a.) plerumque quidem Regulam valere (β.) dari tamen instantias ubi non procedat. Valet illa in multis, quia multa quæ de subjecto affirmantur, subjecto parent latius, quæ hinc præter subjectum aliis insuper comperunt, sicque de pluribus enunciari poterant. Affirmantur enim de subjecto Prædicabilia, quæ quod de multis possint enunciari, hinc etiam universalia dicuntur. Sic cum dicis: Homo est *Substantia*, est vivens est sentiens, hæc omnia talia sunt, quæ hominibus *Inquiritur*

curis

cum aliis communia existunt, unde non poterant non particulariter de homine enunciari, ut male jam diceret. Homo est substantia omnis, est omne vivens, est omne sentiens, cum homo ideam substantiæ, vel ideam viventis aut sentientis non solus quasi absorbeat, ut præter hominem conceptus, his terminis denotati, alii cui-dam enti quod homo non est, non competant.

§. 41. Nec tamen procedit Regula Universaliter quia subinde *predicatum cum subiecto æque late patebat*. Patet vero æque late tum, quando cum illo est reciprocabile; reciprocabile vero est, si fuerit proprium illi non con-veniens, vel conceptus differentialis completus. Dico *com-pletus* quia conceptus differentialis aliquando incomple-tus saltem existit, quandoquidem distinguit quidem rem unam ab alia, sed non ab omni, qui propterea reciproca-bilis esse non poterat. Sic conceptus differentialis Angeli (sive ex natura cognoscatur sive non) est esse spiritualem substantiam, quo differt à brutis aliisque quæ substantiæ corporeæ existunt, sed conceptus est incompletus, quia à Deo vel mente nostra Angelum distinguere nondum poterat, cum & Deus & mens substantiæ spirituales existant. Quod si vero dixeris Angelum esse substan-tiam spiritualem dependentem, à Deo quidem nondum tamen à mente eundem segregare poteris, quod demum obtinebis, sicubi dixeris, Angelum esse substantiam spiri-tualement dependentem completam, qui demum conceptus differentialis perfectus quo Angelus ab omni ente alio, quod Angelum non dicimus, distinguitur, ut hinc etiam enunciatio hæc de Angelo reciprocabilis evadat. Per-tinent ergo huc definitiones quæ cum suo definito reci-procantur, & in certo sensu Propositiones quas
ARI-

ARISTOTELICI vocant *καθ' αυτο* sive per se, quod tamen vel indicasse nunc sufficiat. Quare semper in talibus Prædicatum universaliter de subjecto debere enunciari ultro patet. *Dicitur*: Proprium est Socrati esse animal rationale, risibile, hæc tamen non prædicantur universaliter, non enim Socrates est omne animal rationale, risibile. Enim vero Socrati hæc sunt propria ut homo est, adeoque in ordine ad reliquos homines propria non sunt, sic patebant Socrate latius.

§. 42. Sponte ergo nunc licebat duas pro Conversione Propositionum Affirmatarum (ab his enim incipere placuerat ut ordinem ab ARISTOTELE servatum teneamus) dare Regulas. Prima harum est: *Propositio Universalis affirmativa plerumque (nisi scilicet exceptio Regulae secunda exprimenda locum habuerit) convertitur particulariter.* Ratio Regulae est: Quia prædicatum Propositionis Universalis Affirmativæ plerumque sumitur particulariter in convertenda, quare ita etiam accipietur si in locum subjecti fuerit translatum in convertente, quia conversio quantitatem non dat, sed prout reperit ita convertit, per ea quæ dicta. Ita Propositio hæc, O homo est substantia (quædam) convertitur in illam Q. substantia est homo. O homo est vivens (quoddam) in hanc. Q. vivens est homo, atque sic porro.

§. 43. *Altera: Propositio Universalis affirmativa convertitur aliquando universaliter.* Ratio Regulae ex dictis iterum patet, quia quando vel proprium, vel conceptus differentialis prædicatur de subjecto, prædicatum sumitur universaliter: quare etiam universaliter convertetur, ob rationem modo datam eandem, quomodo e. g. hæc O. homo est substantia mente & corpore

D

pre-

Unde pro:
Conver.
univers
Affirmat.
Regule
dua
afferuntur
Prima
secunda

prædita (universaliter) convertitur in istam : O sub-
stantia mente & corpore prædita est homo. Ista
O. Angelus est Spiritus dependens completus (univerfaliter) in hanc : O. Spiritus dependens finitus est
Angelus. Et Martyr ille Logicorum vulgarium, O homo
est animal risibile (universaliter) in istam O. Animal
risibile est homo. Nec magis hæc exempla ratione
materiæ quam ratione formæ procedunt ; nec magis
ratione materiæ , quam exempla in præcedenti
§. allata , in quibus Conversionem per Accidens locum
habere dicunt.

prædicari
in Univerf.
Negas.

compre-
henfio

§: 44. Quod Propositiones Universales negativas
attinet de illis hic esto Canon : *In Propositionibus Uni-*
versalibus negativis prædicatum semper secundum totam
comprehensionem, & totam extensionem adeoque univerfa-
liter sumitur. Dico 1. secundum totam comprehen-
sionem, quia per hætenus dicta id in omni idea vale-
bat. Nec tamen is est sensus, quasi Propositio negativa
à subjecto separet omnia attributa contenta in compre-
hensione ideæ quæ prædicati vices gerit, id enim ma-
nifesto foret falsum, sed id saltem asseritur separari ab eo
ideam totalem prædicati ex omnibus illius attributis
compositam. Ita quando e. g. dico corpus non est Spi-
ritus, non nego corpus esse substantiam, quæ idea in
conceptu Spiritus latebat, nego tamen ideam totalem
Spiritus, ex ideis partialibus substantiæ & cogitationis com-
positam. Unde nec obstabat certo quoque sensu dixisse in
negativis ideam prædicati non negari de subjecto secun-
dum totam suam comprehensionem, id est quoad omnia
attributa quæ idea prædicati comprehendit, 2. Dico
secun-

Extensio

secundum totam extensionem, id est universaliter. Quodsi enim secundum totam extensionem non sumeretur, non posset de subiecto negari totaliter. Competeret enim prædicatum subiecto aliquo saltem sensu, sicque negatio simplex non procederet. Sic quando dico N. Animal est lapis, ab animali lapis removeretur totaliter & simpliciter, ut nullum possit inferius lapidis produci in medium quod non hoc ipso de animali negetur. Urget hanc rationem etiam ARISTOTELES Libr. 1. Prior. c. 2. §. 6. *πρωτον μεν εν βω ερευνηκη καθολα; η α. β. προτασις. ει εν μηδενι των β το α υπαρχει, εδε των α εδενι υπαρχει το β. ει γαρ τι, οιον το γ, εν αληθες εσται το μηδενι το β το α υπαρχεινι το γαρ γ των β τι εστιν.*

§. 45. Hinc licebat inferre novam Regulam pro *Regula* conversione Universalis negativæ: *Propositio Universalis pro Con-* *negativa convertitur universaliter.* Ratio Regulæ est; *vers. uni-* quia prædicatum Propositionis Universalis negativæ acci- *vers. Neg.* pitur universaliter, per regulam præcedentem; quæ vero prædicatum in convertenda tale quoque subiectum in convertente vi illorum quæ dicta §. 35. cum conversio omnem terminorum respuat mutilationem per §. 29. & 16. Recte ergo dico N. homo est lapis (universaliter) quia nihil quod lapis dicitur de homine poterat enunciari. & N. Lapis est homo N. vitium est laudandum & N. quod laudandum est vitium & sic semper in similibus sine ulla exceptione.

§. 46. Restant propositiones particulares & qui- *Extensio* dem affirmativæ de quibus hæc esto Regula, *in Particu-* *laribus* *affirm.* *Regula* *pro Con-* *vers. illa.* *Par-* *rum.* In propositionibus particularibus affirmativis prædicatum aliquando est particulare, aliquando universale prout subiecto nunc patet latius nunc minus. Unde licebit inferre Regulam proconversione Propositionis

Particularis affirmantis : Propositio particularis affirmans nunc convertitur particulariter nunc universaliter, quia prædicatum nunc est universale, nunc particulare, quale vero prædicatum in convertenda, tale subiectum in convertente. Quare non erit universalis Regula ARISTOTELIS textu 4. τῶν δὲ ἐν μέρει, τὴν μὲν καταφατικὴν ἀντιφρασεὶν ἀναγκη κατα μέρος. Εἰ γὰρ ἦδονη τις αγαθὸν καὶ αγαθὸν τι ἐστὶν ἦδονη Et nihil dicere videntus Logici quando ad mentem Magistri conversionem Propositionis particularis formaliter non nisi particularem dixerit. Licet enim ut plurimum Conversio in particularem formalis existat, æque tamen formalis aliquando est conversio particularis in Universalem. Ac merito hæcenus miratus Doctores hos qui approbant Propositionis Universalis in particularem inversionem, & tamen non admittunt reciprocam hujus in illam conversionem, cum tamen Conversio reciproca existat. Quæmadmodum erga recte convertitur hæc : O virtus est laudanda, in istam Q. laudandum est virtus. Ita hanc in illam redire quid tandem vetabat?

Depropos. §. 47. Dicis Sed quid de Propositionibus Particularibus Negativis erit dicendum, quas nec ad Conversionem simplicem, nec per Accidens à Peripateticis relatam invenio, Ergo vel plane non poterunt converti, aut qualis tandem illa Conversio futura R. De his diversimode judicaverunt Logici. Quidam enim easdem formaliter posse converti negarunt, eo quod conversa existente vera, sæpe convertens fiat falsa e. g. Q. animal non est homo, quæ male ita convertitur Q. homo non est animal Q. virtus non est temperantia, cujus convertens Q. temperamentia non est virtus, (Peripateticis saltem non

non tamen mihi) est falsissima. Non nisi ex accidente ergo & in certa quadam materia, ubi nempe termini se mutuo excedunt, tales propositiones posse inverti sentiunt, e. g. Q. album non est dulce Q. dulce non est album, quemadmodum eodem fere modo Magister illorum l. c. t. 5. judicaverat, τὴν δὲ σέσητιν ἐκ ἀναγκαζον (ἀντιστρέφειν) ἔ γαρ εἰ ἀνθρώπος μὴ ὑπάρχει τινὶ ζῶν, καὶ ζῶον ἐκ ὑπάρχει τινὶ ἀνθρώπῳ

§. 48. Sed quod pace illorum dixerim, omnino una cum Magistro suo falluntur Peripatetici. Cum enim in omni propositione sive sit affirmativa sive negativa relatio, conversionis fundamentum, locum habeat, nulla apparebat ratio, quare non Propositio Particularis negans æque possit converti, quam quidem reliquæ propositiones omnes, cum omnis relatio perpetuo mutua existat. *Dicis*: Conversio inservit reductioni Syllogismorum secundæ & tertiæ figuræ ad Syllogismos figuræ primæ, sed in reductione Conversio Particularis negantis non attenditur, cum Barocco in secunda, & Bocardo in tertia figura, (in quibus tamen particulares negantes propositiones saltem occurrunt) non reducuntur ostensive atque directe, sed indirecte & per impossibile. Enim vero licet hæc vel maxime nunc largiri vellem, omnis tamen usus conversionis in Reductione unice non consistit, cum præter hunc alios quoque jam supra indicaverimus. Et aliud utique est converti non posse, aliud in Reductione Syllogismorum nullum præstare usum. *Dicis*: Non quidem negatur converti non posse Propositiones hasce, negatur tamen converti posse formaliter. R. Atqui eo ipso quod Conversionis sunt

Refellitur

capaces, etiam converti poterunt formaliter, quia nulla datur Conversio quæ non formaliter talis existit, licet hic ad formam accidentalem Logicorum non sit attendendum, quæ nullo nec levissimo quidem fundamento est suffulta.

*Ac Con-
versio per
Contra-
pos.*

§ 49. Alii pro Propositionibus Particularibus negativis, peculiarem Conversionis speciem fuere commenti, quam Conversionem per Contrapositionem appellant, quod, ut loquuntur, in hac Conversione ponantur termini contrarii, & in specie contradictorii, adeoque ex finitis fiant infiniti, unde etiam per transpositionem extremorum propositionis finitorum in terminos infinitos describere illam communiter consueverunt. Nec tamen locum illam saltem habere in particularibus negativis volunt e. g. Q. homo non est Philosophus Q. non Philosophus non est non homo; sed universalibus etiam affirmativis e. g. O. homo est substantia O. non substantia est non homo vel Quicquid non est substantia non est homo.

rejjicitur

§. 50. Enim vero ut jam non dicam ipsam hanc Conversionis speciem forte sine fundamento ad Propositiones Particulares negantes, & universales Affirmantes restringi, quæ tamen omni omnino Propositionis speciei poterat assignari, cum eodem plane modo, quo illas convertunt, hæc quoque reliquæ converti queant e. g. Universalis hæc negativa N. creatura est in dependens in particularem hanc affirmantem infiniti subjecti Q. non independens est creatura, & particularis hæc affirmans Q. homo est Philosophus, in hanc particularem negantem Q. quod non est Philosophus est homo Conf. B. ROETENBECCIUS qu. 1707. & Cel. TITIUS l. c. §. 35. seq. Id saltem dico satis jam hanc Conversionis speciem ex-
plo-

plosam ab accuratioribus Peripateticis. Facit enim ex-terminis finitis infinitos, unde nec Conversio proprie dici merebatur, cum conversio sit transpositio earundem id earum & eorundem nominum ideas easdem significentium. Toto vero cælo immutantur ideae, sicuti ex terminis finitis facti fuerint infiniti licet in externo sono, quandoquidem ex finito fit infinitus sola præfixione *rd* non, mutatio exigua esse videatur, revera autem homo & non homo tantum differant, quantum homo & asinus distant. et iterum taceam alia quæ huic Conversionis speciei opposuere iidem

§. 51. Nos ut hæc Conversionem uniformem forte non infelicitè defendimus, ita nec alia via in Propositionibus Particularibus Negativis incedendum esse judicamus. Prædicatum Propositionis Particularis negativæ sumitur universaliter, quemadmodum in negativis universalibus, quare Regulam pro Conversione Propositionum Particularium Negativarum hanc observabimus: *Propositio Particularis negativa convertitur universaliter e.g. Q. homo non est Philosophus Ergo O. Philosophus non est homo quidam, i. e. quod Philosophum facit à quodam homine e.g. mercatore, futuro qua tali removetur. Q. ens non est substantia id est O. substantia non est ens quoddam, quod scilicet accidens alias dicere solemus.*

*Regula
pro Conversione
Partic.
Negat.*

§. 52. Quod tandem Propositiones indefinitas & Singulares concernit de his vel verbo saltem aliquid dicendum. Scilicet cum dictum fuerit Indefinitas Propositiones nunc æquipollere universalibus, nunc particularibus, nec alia ratione in Conversione illarum procedendum videbatur, quam quidem hæcenus circa Universales & Particulares procedendum docuimus. Ipsas vero ideas Propositionum Indefinitarum cognitæ habenti quæ uni-

*Conversio
Propositionum
Indefinitarum*

universales quæ vero particulares existant intelligere difficile non erit. Non omnino universalem vero suppeditant Regulam qui Indefinitas affirmantes in particulares affirmantes convertendas jubent, cum supponant Universales affirmativas non nisi particulariter converti, quod tamen non semper procedere hæcenus vidimus, licet certum sit indefinitas negantes in universales negantes perpetuo converti. Nec aberraveris sicubi indefinitas cujuscunque illæ generis fuerint in indefinitas alias simpliciter, sola terminorum transpositione observata, converteris.

*et Singu-
larium*

§ 53. In Singularibus denique quæ itidem ad universales analogice posse referri vidimus, id saltem tenendum, quod prædicatum vel habeant commune, vel proprium. Quodsi proprium, adeoque cum Subjecto reciprocabile, sola transpositione subjecti & prædicati fuerat opus; correspondent enim universalibus affirmativis quorum prædicatum cum Subjecto est reciprocabile, e. g. Christus est Mariæ Filius. Mariæ filius est Christus. Quodsi vero prædicatum fuerit commune, Propositio singularis affirmans, æque ut Universales affirmativæ hujus generis, convertetur particulariter eg. Aristoteles est Stagyrita Q. Stagyrita est Aristoteles: si vero negans, conversio fiet in universalem negantem, æque ut in Propositionibus universalibus negantibus. Atque ita temporis & chartæ rationem habentes filum abrumperere cogimur, prætermittentes nunc illa quæ alias de Propositionum Compositarum & Modalium Conversione monere constitueramus,

ULB Halle
003 620 00X

3



sb.


v2
17





DISSE
1782





Farbkarte #13

B.I.G.

2. D. B. V.

DE

VERSIONE

POSITIONUM

UNIFORMI

ARTATIO LOGICA;

Quam

ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO

PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

ALMO HENRICO

JULIACI, CLIVIÆ AC MONTIUM,

WESTPHALIÆQVE, ET RELIQA.

INSU SUPERIORUM

PRÆSIDE

NE LUDOVICO BOYE

VENTILANDAM PROPONIT

AUTOR

OHENHAUSEN, NEO-SEDIN. POMER.

ET SS. THEOL. STUD.

SEPT. A. O. R. MDCCXI.

JENÆ

RIS WERTHERIANIS.

